

quenter dicendum est, aliquo modo, seu sub aliqua ratione habere hanc virtutem ex vi suae institutionis. Quod si inquiras, quomodo hoc non pugnet cum tertia assertione supra posita, quam certam et ab omnibus receptam esse diximus. Responderi potest, in sacramentis posse considerari, aut genericam rationem sacramenti novae legis, aut specificam; in tertia ergo assertione solum dictum est, non omnia sacramenta secundum proprias et specificas rationes esse instituta ad conferendam primam gratiam; huic autem veritati non repugnat, quod secundum genericam rationem sacramenta novae legis omnia sint instituta ad hunc effectum; atque ita sub hac ratione generica dicuntur habere vim per se et ex institutione sua ad primam gratiam conferendam.

8. Sed haec sententia nobis non probatur, propter sequentes causas. Prima, quia nullo vel debilissimo nititur fundamento. Nam cum Concilia dicunt, sacramenta novae legis continere gratiam, aut dare illam, non loquuntur de prima gratia, sed absolute, praecise et abstracte de gratia, sive prima sit, sive secunda. Quod patet, tum ex Concil. Florent., nam, postquam dixit, nostra sacramenta continere gratiam et illam digne suscipientibus conferre, subdit: *Per baptismum enim spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide; renati autem et roborati, nutrimur divina Eucharistiae alimonia.* Cum ergo Concilium haec verba proferat, ut continentia sufficientem explicationem et probationem generalis conclusionis prius positae, necesse est, ut per gratiam intellexerit vel primam vel secundam; tum etiam, quia Concil. Trident., sess. 7, can. 6, cum dicit, sacramenta novae legis continere gratiam, addit illam particulam: *Quam significant;* non omnia autem sacramenta significant gratiam primam, sed vel hanc, vel augmentum ejus; tum denique, quia secunda gratia, seu quilibet gradus gratiae, est vera gratia, sicut quilibet gradus caloris est calor, unde in Scriptura, qui in gratia cressit, justificari dicitur, juxta illud Apocal. ult.: *Qui justus est, justificetur adhuc;* Eccles. 48: *Ne verearis usque ad mortem justificari;* Et Jacob. 2: *Ex operibus justificatur homo.* Quae testimonia de augmento gratiae exposuit Concil. Trident., sess. 6, cap. 10; ergo ex eo dogmate Conciliorum, quod sacramenta habent virtutem ad conferendam gratiam, non potest colligi, omnia habere vim ad dandam gratiam

primam, sed absolute, vel primam, vel secundam.

9. *Sacramenta singulatum, non generatim a Christo instituta sunt.* — Secunda causa est, quia illa metaphysica distinctio, de sacramento secundum genericam, vel specificam rationem, etiam est sine fundamento conficta; quia sacramenta sub nulla ratione habent vim ad conferendam gratiam, nisi ex institutione; Christus autem nullam institutionem sacramentorum fecit secundum genericam rationem, seu generalem omnibus. Ubi enim talis institutio tradita est? vel quo fundamento affirmari potest? Solum ergo instituit singula sacramenta ad suos speciales fines et effectus; et ex institutione singulorum ortum est, ut omnia et effectus eorum inter se conveniant in aliquibus communibus rationibus, quas intellectus abstrahere potest, ac praecise considerare, quod ad nostram speculationem pertinet, non ad practicam et moralem institutionem, quae per se respicit particularia et proprios ac determinatos fines, non vero generales rationes, nisi quatenus in specificis continentur; ergo ex institutione sacramentorum non potest colligi, quod secundum communem rationem sacramenti habeant aliquam propriam virtutem, praeter illam, in qua conveniunt, ratione propriarum et specialium institutionum singulorum sacramentorum. Ex quibus solum potest colligi convenientia in causalitate gratiae, abstrahendo a prima vel secunda. Confirmatur, quia alias omnia sacramenta novae legis, saltem secundum rationem genericam, essent per se instituta ad delendum peccatum mortale; quod est alienum a communi doctrina et ab omni antiqua traditione. Item, alias quodlibet eorum posset per se et ex intentione assumi ad hunc effectum, saltem quando non posset applicari sacramentum poenitentiae. Unde probabile fieret, tunc posse sacramentum sumi cum sola attritione cognita; quia per se, ac praecipue sumitur, ut primam gratiam conferat. Denique sequitur, singula sacramenta habere per se duos effectus gratiae: unum ex ratione generica, scilicet primam gratiam; alterum ex ratione specifica, scilicet intentionem. Unde fieret, sacramentum semper dare diversos gradus gratiae, ratione generis et speciei; quia si homo accedit ad sacramentum jam justificatus, recipit augmentum gratiae, ratione sacramenti talis speciei; non privabitur autem alio fructu, ut respondet rationi genericae, quia sacramentum per se

institutum ad dandam primam gratiam, si inveniatur subjectum gratum, non privabitur effectu, sed dat aliquod augmentum loco primae gratiae; ergo idem erit de sacramento quolibet secundum genericam rationem, si secundum illam institutum est ad primam gratiam conferendam. E contrario vero, si accedens ad sacramentum est in peccato, recipiet primam gratiam per sacramentum, secundum genericam rationem ejus, et tunc jam erit subjectum dispositum, ut idem sacramentum secundum rationem specificam aliquod augmentum gratiae illi tribuat. Haec autem omnia absurda sunt et sine fundamento.

10. Tertia causa, propter quam potest haec sententia improbari, est, quia ex nullo effectu sacramentorum colligi potest hic modus institutionis, seu causalitatis per se primae gratiae, ut ex dicendis disputatione sequenti magis constabit. Dicendum ergo est, non omnia sacramenta per se esse instituta, neque sub ratione specifica, neque sub ratione generica ad primam gratiam conferendam. Quod satis probatum est ex dictis contra praecedentem sententiam.

11. *An omnia sacramenta possint aliquando conferre primam gratiam.* — Sed nunc insurgit dubitatio tertia, an de facto omnia sacramenta possint aliquando conferre primam gratiam. Et ratio dubitandi oritur ex praeced. dubio. Nam aliqua sunt sacramenta, quae non sunt instituta ad dandam primam gratiam, ut dictum est; ergo illa nunquam poterunt conferre hujusmodi gratiam. Patet consequentia, quia sacramenta solum ab institutione habent, quod gratiam conferre possint; ergo seclusa institutione non possunt illam conferre. Atque ita sentiunt omnes, qui negant confirmationem, extremam unctionem, aut Eucharistiam, facere hominem ex attrito contritum, quos commemorabimus tractando de singulis sacramentis.

12. Nihilominus contraria sententia et magis pia est et probabilior, quam D. Thomas ubique docet tractando de singulis sacramentis, ut suis locis videbimus, quem et discipuli ejus et multi alii sequuntur, quos ibidem referemus, ne cogamur in multiplicandis et repetendis allegationibus prolixiores esse. Ratio autem generalis solum est, quia omnia haec sacramenta sunt per se instituta ad dandum aliquem gradum gratiae; ergo, si subjectum non habet dispositionem repugnantem actualiter gratiae, semper illum conferent vel per

modum augmenti, si subjectum sit jam gratum, vel per modum primae gratiae, si subjectum nondum erat justificatum. Probatum consequentia, quia, si homo bona fide accedat ad sacramentum, putans se esse justificatum, non peccat, et consequenter non ponit actualement obicem gratiae. Rursus, si cum tali bona fide habet attritionem peccati, est ita dispositus, ut ex parte subjecti non repugnet peccatum expelli et gratiam infundi; ergo ex parte etiam sacramenti non repugnabit ex defectu virtutis et institutionis, dare gratiam primam. Probatum haec ultima consequentia, quia non est minoris virtutis augere gratiam, quam illam infundere; neque primus gradus gratiae est excellentior, quam secundus; neque activitas sacramenti per se requirit ex parte subjecti, nisi solam non repugnantiam cum capacitate obedientiali. Et explicatur a simili. Nam sacramenta per se instituta ad dandam primam gratiam, quando eam jam infusam inveniunt, augent illam, quamvis non sint per se instituta ad augendum; ergo e contrario, sacramenta per se instituta ad augendam gratiam, quando illam non inveniunt infusam, infundunt illam, si aliunde obicem non invenerint; est enim eadem ratio, ex qua facile est respondere ad rationem dubitandi in principio positam; necesse est enim, ut totus hic effectus manet ex Christi institutione, ut argumentum concludit; tamen non est necesse, ut ex tali institutione sit sacramentum per se ordinatum ad hunc effectum, sed solum ex accidenti; sicut enim baptismus non fuit ordinatus ex sua institutione ad dandum gratiae augmentum, sed tantum ex accidenti. Itaque voluit Christus, ut haec sacramenta per se et ex intentione non sumantur ad hunc effectum; si tamen contingat sumi ad proprium effectum, non tamen in gratia, sed cum dispositione non repugnante, sed sufficiente ad gratiam, tunc illam conferent loco illius gradus gratiae, quem per modum augmenti datura essent, si subjectum esset antea justificatum.

13. *Virtutes et dona Spiritus Sancti infunduntur, vel augentur per sacramentum, modo per se, modo ex accidenti.* — Ex dictis hactenus constat, quid dicendum sit de virtutibus infusis et donis Spiritus Sancti quae habitualement gratiam comitari solent, an scilicet haec per sacramenta infundantur, aut augeantur. Dicendum est enim ex communi omnium sententia, haec omnia infundi, vel augeri cum gratia ipsa, servata proportione. Itaque si

per sacramentum infunditur prima gratia per se, vel ex accidenti, eisdem modis infunduntur virtutes et dona, et in eodem gradu, in quo infunditur gratia; atque idem est proportionaliter de augmento. Ita sentiunt omnes Theologi, et colligi potest ex discursu Concil. Trident., sess. 6 et 7, definit homines justificari per susceptionem gratiæ et donorum, quam inferius vocat justitiam, quæ est unica causa formalis nostræ justificationis; et hujus instrumentalem causam dicit esse baptismum; in sessione vero septima definit, omnia sacramenta conferre gratiam; intelligit ergo de gratia justificationis, ut ibidem loquitur can. 4, eamque gratiam et justitiam appellat can. 6; ergo sub gratia, quæ est effectus sacramentorum, includuntur virtutes et dona. Ratio etiam hoc convincit, quia virtutes et dona sunt veluti passionis, seu proprietates consequentes gratiam; sed qui dat formam, dat consequentia ad formam, præcipue si sit agens perfectum. Et hæc ratio etiam probat infundi hæc dona per sacramenta cum proportione debita, quia proprietas, quæ comitatur formam, si debito modo fiat, infundi debet cum perfectione, intentione vel remissione proportionata formæ, et hoc pertinet ad perfectum statum ipsius gratiæ et totius supernaturalis justitiæ.

14. *Objectio. — Solutio. — Omnia sacramenta primario respiciunt gratiam sanctificantem.* — Dices: aliquando potest homo accedere ad sacramentum magis dispositus ad augmentum fidei quam charitatis, vel temperantiæ quam justitiæ, et sic de cæteris. Item quædam sacramenta videntur principaliter instituta ad perfectionem unius virtutis, quam alterius, ut confirmatio ad robur fidei, Eucharistia ad nutritionem charitatis, extrema unctio ad firmitatem spei. Respondetur, dispositionem suscipientis, pensatis omnibus, considerandam esse in ordine ad infusionem, vel augmentum gratiæ habitualis. Nam, licet hæc dispositio sit actus alicujus virtutis, et interdum ex multis et variis actionibus coalescat, tamen moraliter considerata, sufficiens est ad consequendos tot gradus gratiæ per sacramenta, et consequenter sufficit ad eodem gradum in cæteris virtutibus et donis, quia hæc dantur concomitanter cum ipsa gratia. Et in hoc eadem est ratio et proportio sacramentorum omnium; nam licet per auxilia actualia quædam sacramenta magis juvent ad actus quarundam virtutum, quam aliarum, tamen infusione gratiæ habitualis om-

nia primario respiciunt gratiam sanctificantem, et consequenter virtutes et dona, quæ illam comitantur. Unde licet fortasse gratiam habitalem conferant aliqua sacramenta principaliter propter aliquos speciales actus virtutum, tamen hoc ipso quod gratiam conferunt, dant etiam consequenter virtutes et dona cum debita proportione. Quod etiam juvare potest ad perfectum usum cujuslibet virtutis; quia virtutes omnes connexæ sunt et se mutuo juvare possunt.

### SECTIO III.

Utrum sacramenta conferant aliquam specialem gratiam præter gratiam virtutum et donorum, et quid illa sit.

1. *Sacramentum suam quoque gratiam sacramentalem efficit.* — Quæ hactenus diximus, communia sunt omnibus sacramentis. Sequitur, ut explicemus, quo modo in hoc effectu differant. In qua re Theologi omnes conveniunt, habere singula sacramenta proprias sacramentales gratias, quas efficiunt. Ita docent D. Thom. hic, et in 4, d. 4, quæst. 4, art. 4, quæstion. 5, et D. Bonavent., art. 4, quæst. 6; Richard., art. 4, quæst. 4, et reliqui Theologi; et Alens., 4 part., quæst. 8, memb. 4, art. 2, § 1. Et ratio est, quia sacramenta ad distinctos fines ordinantur. Unde necesse est, ut distinctos habeant effectus. Deinde, quia si omnia eundem omnino haberent effectum, non differrent formaliter in ratione sacramenti, id est, in significatione et causalitate gratiæ, sed tantum materialiter in ritu, seu cæremonia ad significandum et efficiendum imposita. Item hinc fieret, non esse quædam sacramenta magis necessaria ad salutem, quam alia; nec posset reddi ratio, cur quædam possint iterari et non alia. Nec denique, cur sint tot sacramenta multiplicata, si omnia ad eundem gratiæ effectum esset ordinata. Necesse est igitur, effectus gratiæ, qui per diversa sacramenta conferuntur, aliquo modo inter se differre.

2. *Sacramentales gratiæ differunt a communi gratia virtutum.* — *Objectio. — Refutatio.* — Ex quo fit primo, sacramentales gratias diversorum sacramentorum differre aliquo modo a communi gratia virtutum et donorum; quia non possent gratiæ sacramentales inter se differre, nisi etiam aliquo modo distinguerentur ab effectu gratiæ, vel aliquid proprium et speciale adderent. Dicitur fortasse solum in hoc differre, quod gratia in

communi abstrahit a prima vel secunda, et a gratia intensa vel remissa, seu a tali, vel tali gradu gratiæ; sacramentales vero gratiæ includunt determinationem, scilicet, quod sit prima, vel secunda, quod detur in tanto, vel tali gradu. Sed licet hæc differentia ex parte vera sit, tamen non est sufficiens; quia ad varios fines et effectus sacramentorum, non satis est illa diversitas in gradibus gratiæ, quia hæc tantum est secundum magis et minus intra eandem rationem gratiæ. Unde propter hanc solam causam non essent multiplicata sacramenta, nam idem sæpius repetitum posset omnes hos gradus conferre. Oportet ergo, ut sit aliqua formalis diversitas in ipsis donis gratiæ, quæ per sacramenta conferuntur. Et de hac diversitate inquiremus, quid sit et in quo consistat.

3. In qua re quidam dixerunt, gratiam sacramentalem uniuscujusque sacramenti addere specialem quemdam habitum distinctum a gratia sanctificante, quæ est in essentia animæ, et ab omnibus virtutibus infusis et donis Spiritus Sancti quæ ex natura rei illam comitantur. Ita sentit Palud., in 4, d. 2, quæst. 3. Et existimat esse opinionem D. Thomæ, quam dicit esse singularem et contrariam communi opinioni aliorum Doctorum. Verum tamen est, Palud. nunquam expresse dicere hanc gratiam sacramentalem esse habitum specialem; multum tamen indicat, quia si de auxilio tantum loqueretur, non esset cur existimaret, opinionem suam esse singularem et contrariam doctrinæ contrariam; ipse tamen nullam rationem adducit, quæ doceat hanc gratiam debere esse habitum, sed solum esse aliquid proprium et speciale singulis sacramentis. Hinc vero potest concludi, quod sit habitus. Tum quia ita datur per sacramenta, ut permaneat et duret, quamdiu homo non posuerit obicem; tum etiam, quia alias non posset fieri per sacramenta.

4. *Sacramentalis gratia non addit aliquem habitum ultra gratiam virtutum et donorum.*

— Dicendum vero est primo, per nullum sacramentum infundi, vel augeri aliquem habitum, qui non infundatur, vel augeatur per alia. Quo fit, ut sacramentalis gratia non addat aliquem habitum ultra gratiam virtutum et donorum. Non agimus de caractere, quia de illo est specialis sermo quæst. seq., et magis annumeratur inter gratias gratis datas, quam inter dona gratiæ gratum facientis. Et ita assertio posita est D. Thomæ hic, art. 2, et Alex. Alens., Bonav., Richard., locis supra

citatis, quam bene exposuit Cajetanus hic, et Soto, d. 1, quæst. 3, art. 2. Et ratione declaratur. Quia, vel talis habitus esset in essentia animæ, vel in potentiis. Non primum, quia ad sanctificandam animam sufficit gratia, et non potest fingi alius finis, vel effectus, qui in essentia animæ fiat, propter quem hujusmodi habitus superaddatur. Neque etiam secundum, quia in potentiis solum infunduntur habitus, qui sunt principia supernaturalium et honestorum actuum; sed per virtutes infusas Theologales et morales et Spiritus Sancti dona sufficientissime perficiuntur nostræ potentie in hujusmodi actibus, nec excogitari potest aliquis actus hujusmodi, qui ad aliquam virtutem infusam, vel donum Spiritus Sancti non pertineat; nec sacramenta ordinantur, vel requirunt alia genera supernaturalium actuum, ut facile patebit, per singula breviter discurrendo. Nam baptismus et poenitentia solum ordinantur ad infusionem primæ gratiæ et remissionem peccati, requirunt autem fidem et poenitentiam. Confirmatio instituta est, ut det animæ robur ad confitendam fidem; qui actus solum potest, vel ab ipsa fide, vel a religione, vel a fortitudine, vel a charitate, vel ab omnibus his virtutibus simul proficisci, neque ad hunc finem potest sacramentum dare aliquem habitum ab his virtutibus distinctum. Similiter Eucharistia ordinatur ad nutriendam charitatem; unde per se juvat ad actus devotionis, charitatis, vel similes. Item extrema unctio, præter reliquias peccatorum, quas tollit, confortat hominem ad vincendas tentationes, quæ in articulo mortis occurrunt; quod non fit nisi per actus fidei, spei, poenitentiae et aliarum virtutum. Similiter sacramentum Ordinis dat specialem gratiam ad sancte et religiose exercendas sacras actiones ad cultum Dei spectantes; unde omnes actus, qui per hanc gratiam fiunt, pertinent ad charitatem, vel religionem, aut alias virtutes. Denique idem videre licet in matrimonio. Actus enim, ad quos tale sacramentum ordinari potest, solum sunt, vel castitatis, vel fidelitatis, justitiæ, aut charitatis, seu pietatis inter conjuges; ergo nullus fingi potest actus, propter quem specialis habitus infundatur per sacramentum; ergo gratia sacramentalis non addit aliquem habitum præter gratiam virtutum et donorum.

5. *Gratia sacramentalis aliquod speciale auxilium addit supra gratiam virtutum.* — Dico secundo: gratia sacramentalis addit su-

pra gratiam virtutum et donorum aliquod speciale auxilium gratiæ ordinatum ad proprium finem sacramenti. Quocirca ipsamet gratia communis, quatenus per tale sacramentum datur et ordinatur ad talem finem, et quatenus sub ea ratione illi respondet ac debetur ex divina institutione tale auxilium, potest dici gratia sacramentalis. Hæc est mens D. Thomæ hic, et facile probatur. Primo ex dictis, quia nihil aliud relinquitur, quod gratia sacramentalis esse possit, nec potest intelligi, quid aliud addat, si non addit habitum. Secundo declaratur in singulis sacramentis: nam baptismus differt a reliquis sacramentis, quia per se ordinatur ad delendum originale peccatum et reliqua quæ cum illo conjuncta erant, atque adeo ad dandam primam gratiam, simpliciter primam, id est, quæ primo homini infunditur in toto vitæ tempore et per quam primo sanctificatur; et ideo datur per modum spiritualis regenerationis. Quia sicut per generationem datur primum esse rei genitæ, ita per baptismum datur primum esse divinum; et quia hoc perfecte fit in lege gratiæ, ideo datum etiam est baptismo, ut simul auferat, non solum culpas mortales et veniales, sed etiam omnem pœnæ reatum. Atque ita ipsa gratia prima, ut regenerativa, est gratia sacramentalis hujus sacramenti, et hoc esset sufficiens, ut distingueretur a reliquis; verisimile autem est, ac pie credi potest, per hoc sacramentum conferri aliqua specialia auxilia, vel ad se conformandum cum Christo, cui in baptismo homo conspeliatur; vel ad servanda divina mandata, quia baptismus est professio divinæ legis; vel ad digne suscipienda alia sacramenta, quia est janua sacramentorum. Idem suo modo videre est in pœnitentia: nam hoc sacramentum per se est institutum ad remittenda peccata mortalia post baptismum commissa, et ad dandam primam gratiam, non primam simpliciter in toto tempore vitæ, sed primam post lapsum et spiritualem mortem; unde non confertur per modum regenerationis, sed quasi spiritualis resurrectionis, seu curationis et sanitatis animæ; et prima gratia sub hac ratione est sacramentalis respectu hujus sacramenti, et cum ea conjuncta est remissio æternæ pœnæ, non tamen plena remissio temporalis pœnæ, sed ea est major, vel minor juxta dispositionem pœnitentis; præter hæc vero credibile est dari aliquod speciale auxilium ad efficacius detestandum peccata et satisfaciendum pro commissis.

Similiter in confirmatione gratia sacramentalis addit speciale auxilium ad constanter, ac firmiter confitendam fidem; unde ipsummet gratiæ augmentum, quod ad hunc finem per hoc sacramentum datur, sub ea ratione et quatenus habet annexum prædictum Dei auxilium, sacramentalis gratia dicitur. Et ad hunc modum facile erit, in cæteris sacramentis hoc declarare; neque contra hanc doctrinam D. Thomæ sic expositam aliquid difficultatis objiciendum occurrit.

6. Solum potest quis dubitare, an gratiæ sacramentales, seu auxilia illa, quæ a nobis explicata sunt, possint extra sacramenta conferri. Quibusdam enim videtur nunquam aliter dari, quia alias sacramentorum institutio esset superflua, si aliis modis possent effectus sacramentorum obtineri, quam per ipsa sacramenta. Alii vero dicunt, non semper esse necessaria sacramenta re ipsa suscepta ad obtinendos hujusmodi effectus; semper tamen conferri in ordine ad illa, seu in voto illorum. Ego vero censeo, ex communi, ac præcisa ratione et institutione sacramenti neutrum horum sequi; atque adeo fieri posse, ut aliqua gratiæ ejusdem rationis cum sacramentalibus extra sacramentum obtineantur, vel per orationem et impetrationem, vel per modum meriti. Ratio est, quia, licet sacramento detur virtus ad aliquem effectum conferendum, non statim constituitur, ut sit medium necessarium ad talem effectum, seu gratiæ beneficium obtinendum; potest enim esse causa de se sufficiens et efficax, non tamen necessaria; neque propterea sacramenti institutio est superflua, sed est utilissima ad obtinendam hujusmodi gratiam, etiam sine speciali impetratione et merito operantis. Exemplo declarari potest in effectu confirmationis; nam si quis non confirmatus sit in necessitate, vel periculo deserendi fidem, potest, si faciat quod in se est, obtinere a Deo omne auxilium necessarium ad confitendam fidem, et tanta charitate ac fiducia potest orare Deum, ut ab ipso obtineat superabundans auxilium æquale, et fortasse majus, quam sit illud, quod per confirmationem datur. Cur enim hoc negandum est, cum totum hoc cadere possit sub gratiæ meritum, et per justam ac honestam petitionem possit debito modo postulari? Neque oportet fingere, quod hoc fiat cum ordine, vel ex voto confirmationis, quia nulla est necessitas hujus voti, præsertim si verum est, hoc sacramentum non esse sub præcepto impositum. Quocirca in singulis

sacramentis considerandum est, an sint media necessaria ad aliquos effectus et quomodo, ut possit judicium ferri, an illi effectus possint extra talia sacramenta conferri; ut v. gr. baptismus est medium necessarium ad remissionem originalis peccati et ad characterem baptismalem, tamen non eodem modo; nam ad priorem effectum sufficit ut in re vel in voto suscipiatur; tamen ad posteriorem necesse est, ut re ipsa applicetur; ad alia vero auxilia obtinenda est medium utile, non tamen necessarium. Et ad hunc modum de aliis censendum est, ut proprius in singulis sacramentis dicemus, et in seqq. sect. aliqua attin-gemus.

## SECTIO IV.

Utrum sacramenta semper conferant suos effectus gratiæ et quam dispositionem ad hoc requirant.

1. In hac quæstione, sicut in præcedentibus non agimus de characterem, sed solum de gratia sanctificante, et præcipue tractatur hæc quæstio de gratia habituali virtutum et donorum, et de augmento ejus; simul tamen aliquid dicemus de gratia sacramentali, seu de auxiliis gratiæ, quæ per sacramenta dantur.

2. *Sacramenta non ponentibus obicem infallibiliter conferunt effectum gratiæ.* — Primo, igitur statuenda est generalis regula in hac materia, sacramenta semper atque infallibiliter conferre gratiæ effectum non ponentibus obicem. Quam his verbis tradit Cyprianus, serm. de Cœna Dom.: *Sacramenta quidem, quantum in se est, sine propria virtute esse non possunt.* Et expressius eam definit Concil. Trident., sess. 7, can. 7, dicens: *Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiam si rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus, anathema sit.* Ratio est primo, quia sacramenta novæ legis sunt signa gratiæ, non prognostica, sed demonstrativa; significant ergo gratiam, quæ in eorum susceptione confertur; sunt autem sacramenta signa vera et infallibilia, cum sint ab ipso Deo tradita et imposita; ergo necesse est, ut quantum est ex parte ipsorum, semper conferant gratiam, ut eorum significatio semper vera sit. Quod inductione manifeste declaratur. Nam si hæc verba: *Hoc est corpus meum*, non semper haberent sacramentalem effectum, non possent semper esse vera; et similiter, si sacerdos non haberet virtutem de se certam et efficacem ad remittenda peccata homini dis-

posito, non posset semper vere dicere: *Ego te absolvo*, et sic de cæteris. Secundo, est ratio a priori, quia omnia sacramenta habent conjunctam promissionem gratiæ a Christo datam, ut est illa: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*; et illa: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* Promissio autem Christi est infallibilis, eo modo, quo fit; nam si est absoluta, semper impletur; si autem est conditionata, necesse est etiam impleri, saltem posita conditione; in præsentem autem non potuit esse omnino absoluta; quia indispositi, atque indigni homines, non sunt pro illo statu capaces divinæ gratiæ; ergo necesse est, ut saltem sit conditionata, quia aliqui nulla esset promissio; non potuit autem convenientior conditio poni, quam si in suscipiente non sit obex, id est, aliquid divinæ gratiæ repugnans. Tertio, colligi potest hæc veritas ex principio supra posito, quod sacramenta hæc sunt causa gratiæ, quam habent ex sua institutione. Nam hæc institutio eadem semper immutabilis perseverat; ergo ex vi illius semper habent sacramenta eandem vim ad gratiam conferendam; ergo, posita institutione jam sunt veluti causæ naturales, quæ semper operantur, si ex parte subjecti non sit tanta repugnantia, ut sit omnino indispositum ad effectum talis causæ.

3. *Infantes quorum sacramentorum sunt capaces, eorum semper fructum percipiunt.* — *Sine characterem baptismali non est capacitas ad reliqua sacramenta.* — Ex quo principio sequitur primo, quæstionem hanc nihil difficultatis habere in infantibus, respectu eorum sacramentorum, quorum sunt capaces, quia certum est semper et infallibiliter habere in eis effectum gratiæ, si sacramenta rite conficiantur et applicentur. Unde sacramentum baptismi semper et infallibiliter in his habet effectum, tam characteris, quam gratiæ, quia hujusmodi infantes non possunt ponere obicem, cum non sint capaces actualis culpæ; et ad remissionem originalis, nulla in eis requiratur dispositio. Supposito autem baptismo, si confirmatio, vel aliud simile sacramentum illis tribuatur, etiam habet infallibiliter effectum, propter eandem causam; necesse est autem supponi baptismum, quia sine characterem baptismali non sunt capaces aliorum sacramentorum, ut postea dicemus.

4. Secundo sequitur, ex malitia vel indispositione susipientis fieri posse, ut sacramentum suo effectu privetur, ut clare significavit Concil. Trident. addens illam parti-

culam, quantum est ex parte Dei, et in can. 6, cum definit sacramenta conferre gratiam, non ponentibus obicem; quo modo etiam locutum fuerat Concil. Florent. Cujus rei causam egregie tradidit Cyprianus, supra his verbis: Non possunt tamen Spiritus esse participes, quorum infidelitas, vel indignitas tantæ sanctitudini contradicit; ideoque aliis sunt hæc munera odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem, quia omnino justum est, ut tanto priventur beneficio gratiæ contemtores, nec in indignis tantæ gratiæ puritas sibi faciat mansionem. Eandem sententiam habet Augustinus, Psal. 142, circ. fin., dicens: *Non est malum quod datur, sed bonum malo in iudicium datur; bene enim esse non potest male accipienti, quod bonum est.* Quæ sententia habetur in lib. Sent. Prosp., n. 69, et præterea dixit idem Augustinus, lib. de Bapt., cap. 3, neminem debere esse securum de effectu sacramenti, licet sacramentum susceperit, nisi sit corde dispositus, quia ut idem Augustinus ait Psal. 77: *Licet omnibus communia sint sacramenta, non tamen omnibus communis est gratia.* Quod etiam repetit conc. 4 in Psal. 103. Superest vero explicandum quæ sit indignitas vel indispositio, quæ impedire potest effectum sacramenti. Et quoniam privatio per habitum cognoscitur, simul explicandum erit, quæ dispositio sit necessaria in suscipiente ad hunc effectum.

5. *Peccatum mortale, in ipsa sacramenti susceptione commissum, effectum gratiæ tunc impedit.* — Secundo igitur dicendum est, peccatum mortale actu commissum in ipsa susceptione sacramenti impedire omnem effectum gratiæ ejus, ne scilicet tunc conferatur. An vero possit postea reviviscere et conferri, inferius disputandum est, sect. 6. Et hoc sensu conclusio est communis Doctorum et certa, quia peccatum mortale in actu repugnat divinæ gratiæ; et ideo quamdiu illud durat, gratia infundi non potest; ergo, si durat tale peccatum, quamdiu sacramentum suscipitur, non poterit tunc sacramentum gratiam præstare. Atque ita sequitur hæc assertio ex illo principio, quod sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem; cujus sensus non solum est affirmativus, prout verba sonant ac præ se ferunt, sed etiam negativus, qui virtute in illis verbis continetur, scilicet quod sacramenta gratiam non conferunt ponentibus obicem; nullus autem major obex poni potest, quam actuale peccatum mortale.

6. *Ad primam gratiam sacramenti semper*

*est necessaria aliqua dispositio actualis.* — Tertio dicendum est, ut sacramentum conferat gratiam primam, necessariam semper esse ex parte suscipientis aliquam actualem dispositionem, qua se ad gratiam suscipiendam ita præparet, ut illi obicem non ponat. Hæc est certa sententia, de qua videri potest Gabr. in 4, d. 14, q. 2, art. 1, et Pet. Sot., lect. 9, de Sacram. in gen., et lect. 7, de Confess. Et probatur, quia sacramentum non dat primam gratiam, nisi homini suscipienti illud in peccato originali, vel mortali, quia ut prima gratia dari possit, supponitur in subjecto privatio ejus; privatio autem gratiæ non est nisi per peccatum; peccatum autem et gratia immediate opponuntur, secundum ordinariam potentiam, de qua loquimur. Unde etiam fit, ut non possit sacramentum primam gratiam conferre, nisi expellendo peccatum originale vel mortale habituale, quia non possunt simul esse gratia et hujusmodi peccatum; ergo, ut sacramentum possit gratiam primam infundere, necessaria est in subjecto aliqua dispositio actualis sufficiens ad expulsionem peccati. Nam ad hoc non sufficit, ut homo cesset a peccato actuali; neque etiam satis est, ut voluntarie suscipiatur sacramentum; sed præterea necessaria est bona aliqua dispositio, tam in intellectu, quam in voluntate; nam in illo requiritur fides, sine qua impossibile est placere Deo, ad Heb. 11; unde etiam de baptismo, qui minimam dispositionem requirere videtur, dixit Christus, Matth. ult.: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Et ideo dixit Philippus Eunucho, Act. 8: *Si credis ex toto corde, licet.* Deinde in voluntate requiritur aliqua detestatio peccati, vel bonus motus in Deum, unde de baptismo dixit Pet., Act. 2: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum;* et de Eucharistia ait Paul., 1 Cor. 11: *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat.* Et eadem est ratio de reliquis. Unde Concil. Trident., sess. 6, describens justificationem adulterorum, quæ fit per baptismum, et sess. 14, tractans de illa, quæ fit per sacramentum pœnitentiæ, ad utramque requirit dispositionem hominis per proprium aliquem actum voluntatis ejus. Unde evidenter concluditur, multo magis requiri in omnibus aliis sacramentis, si fortasse per illa interdum datur prima gratia, tum quia cum hic effectus sit proprius ac per se tantum illorum duorum sacramentorum, minorem dispositionem respectu illorum requirere de-

bet, quam respectu aliorum; tum etiam, quia cætera sacramenta nunquam possunt remittere peccatum mortale, nisi in voto sacramenti pœnitentiæ, quod votum non est sine aliqua detestatione prioris peccati, et proposito emendationis. Ratio denique a priori est, quia homo peccando, voluntarie avertitur a Deo, et ad creaturam convertitur; et ideo quæcumque via, aut ratione justificandus sit, sive extra sacramentum, sive per illud, merito ab illo exigitur, ut necessaria dispositio, quod voluntarie peccatum deserat et ad Deum aliquo modo convertatur; quod non fit, nisi per aliquem actum. Quæ ratio sufficiens est respectu primæ gratiæ, quando infunditur ad delendum peccatum mortale; si vero contingeret infundi homini adulto ad delendum solum originale peccatum, prædicta ratio non procederet, quia originale peccatum non est propria voluntate commissum; tamen hic casus moraliter nunquam accidit, quia non contingit hominem post usum rationis multo tempore esse in peccato originali, quin aliquando in mortale peccatum labatur. Verumtamen in eo casu dicendum est, quamvis in illo homine non requiratur dispositio, qua formaliter detestetur peccatum, propter rationem factam, requiri tamen aliquam conversionem in Deum, qua voluntarie justificationem et divinam amicitiam amplectatur. In parvulis enim, qui propria voluntate uti non possunt, hæc dispositio non requiritur, sed sicut aliena voluntate peccarunt, ita per Christi voluntatem in baptismo applicatam justificantur; adulti vero quia jam habent dominium propriæ voluntatis, debent aliquo modo voluntarie concurrere, seu consentire suæ justificationi, ut latius infra dicemus agentes de baptismo.

7. *Quæ dispositio requiratur ad effectum sacramenti.* — *Objectio.* — *Solutio.* — Occurrebat autem hoc loco disputandum, quænam sit hæc dispositio, quam sacramenta requirunt ad gratiam conferendam. Sed de hac re dicetur commodius in singulis sacramentis. Nunc in genere sufficiat dicere, id quod ex dictis in 2 sect. facile colligitur, ad hunc effectum non esse necessariam contritionem præviam, quia, si hæc antecedit, statim dabitur prima gratia, atque ita non dabitur per sacramentum, sed augebitur; sufficiet ergo attritio, diverso tamen modo. Nam in duobus sacramentis quæ dicuntur mortuorum, quoniam per se instituta sunt ad tollendum peccatum et dandam primam gratiam,

per se etiam sufficit hæc dispositio, tam ad effectum sacramenti, quam ad dignam sumptionem ejus; in aliis autem quinque sacramentis vivorum, quoniam per se non sunt instituta ad delendum peccatum mortale, per se etiam non sufficit illa dispositio ad dignam sumptionem, sed requiritur status gratiæ; tamen ex accidenti, si quis inculpabiliter existimet, se esse in statu gratiæ cum non sit, sufficiet illa dispositio ad prædictum gratiæ effectum, quia ratione prædictæ ignorantæ ac bonæ fidei, non ponitur obex; et alioqui per attritionem avertitur voluntas a peccato sufficienti modo, ut per sacramentum justificari possit, ut prædicta sect. 2 dictum est. Dices: hinc videtur sequi, neque hanc dispositionem requiri, si alias homo per ignorantiam excusetur ab actuali culpa; quia vel habituale peccatum est sufficiens obex, vel non. Si primum, ergo, qui est tantum attritus, cum adhuc in se habeat habituale peccatum, ponit obicem sacramento et sic non justificabitur. Si secundum, ergo qui bona fide accedit cum habituali peccato, sine alia dispositione, non ponit obicem sacramento; ergo justificabitur; nam sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem. Propter quam rationem visus est ita sentire Scotus, in 4, d. 14, quæst. 4, art. 3. Sed revera non ita sentit, ut latius dicemus agentes de sacramento pœnitentiæ et de sacramento baptismi. De quo nonnulli alii idem sensisse videntur, quorum sententia falsa est, ut ibi dicam. Respondetur ergo ad argumentum, non solum actuale mortale peccatum esse obicem ad effectum sacramenti, sed etiam habituale nullo modo detestatum seu retractatum saltem per attritionem, quia, quamdiu retractatum non est, moraliter censetur voluntarie permanere, et ideo est obex ad divinam gratiam suscipiendam.

8. *Actuale peccatum veniale non obest augmento gratiæ.* — Dico quarto: ut sacramenta conferant augmentum gratiæ, solum requirunt habitualem gratiæ dispositionem, id est, quod in statu gratiæ recipiantur. Hæc est sententia D. Thomæ, Scoti et aliorum, quos statim referam. Et quidem pars affirmativa hujus conclusionis non indiget probatione, quia gratiæ augmentum supponit gratiam primam. Probatur ergo altera pars negativa, scilicet aliam dispositionem non requiri, quia sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem; sed qui recipit sacramentum in statu gratiæ non ponit obicem augmento gratiæ: